

Disquisitio brevis de Schemate

"De fontibus revelationis"

CONSPECTUS

José Bedua E

Di. Rev. / 1

Karl Rahner

INTRODUCTIO

Intentio in schematibus dogmaticis conficiendis	1
Munus episcopis proprium in diiudicandis schematibus propositis	1
I. Generalia de isto schemate		
1. Schema est nimis longum	2
2. Schema non habet indolem pastoraalem	2
3. Schema caret spiritu oecumenico	2
4. Deest indicatio qualificationis theologicae assertorum	4
II. Particularia de isto schemate		
1. Deest expositio de revelatione in genere	4
2. Infelix locutio de "duobus fontibus revelationis"	4
3. Doctrina schematis de materiali distinctione inter "duos" istos "fontes"	5
4. Doctrina schematis de charismate personali Hagiographi relate ad Ecclesiam	7
5. Doctrina schematis de inerrantia S. Scripturae	7
6. Doctrina schematis de historicitate narrationum S. Scripturae	8
7. De ommissa mentione historiae salutis ante Oeconomiam Veteris Testamenti	9
8. De non adhibito Schemate "De verbo Dei" Secretariatus ad unionem fovendam	10

CONCLUSIO

*Cg.: Petito no ecumenico
Asunto fuentes
Asunto historico dad*

BREVIS DISQUISITIO DE SCHEMATE "DE FONTIBUS REVELATIONIS"

I N T R O D U C T I O

Cum concilium schemata dogmatica tractanda aggreditur, munus suscipit, quo maius et difficilius inter eius munia cogitari vix potest. Condit enim his schematibus non legem, quae mutatis temporum conditionibus a posteris nostris iterum mutari potest, sed tenetur tali decreto dogmatico proclamare Christi veritatem, quae manet in aeternum. Insuper simul in tali munere implendo attendere debet concilium, ut talis doctrina conciliaris sit opportune enunciata. De hac ratione opportunitatis, quae non semper et necessario coincidit cum veritatis definibilitate, semper sollicita erat et esse debet Ecclesia, cum definit. Haec norma a Concilio Oecumenico ideo maxime attendenda est, quia hoc concilium iuxta voluntatem sapientissimam Summi Pontificis finem quam maxime pastoraalem sibi prosequendum proponit, et quia Patres Concilii in suo ad mundum universum nuntio satis solemniter proclamaverunt velle sese ita Ecclesiam docere, ut mentalitatem huius nostri temporis reapse attingant. Profecto id quod docetur, non solum debet esse verum, sed debet esse ita dictum, ut aures hominum bonae voluntatis revera inveniat, ut ab eis intelligi queat. Profliget, si opus est, tales errores, qui fidem Ecclesiae in discrimen vocant, errores ergo, qui vere errores sunt et qui non quibusdam doctoribus tantum, sed cordibus et mentibus fidelium magna ex parte sese imponunt.

Quibus consideratis facile patet non omnia, quae vera sunt quaeque a magisterio ordinario legitime omnibus credenda aut tenenda imponuntur, eo ipso etiam a Concilio esse definienda aut docenda. Multa ex his opportunius relinquuntur magisterio ordinario Ecclesiae, encyclicis Summorum Pontificum, invigilantiae pastorum Ecclesiae, praesertim si explicatione complicata indigent, difficultatibus subtilioribus recentioris theologiae, exegeseos etc. satisfacere debent et non nisi fusiore expositione declarari queunt. Falsum igitur et sub respectu pastoralis perniciosum esset velle supponere, omnia, quae ut vera et tenenda ex doctrina magisterii ordinarii constant, eo ipso esse etiam materiam Concilii Oecumenici.

Insuper evidens est - quod efferre iniquum videtur - Patres Concilii non simpliciter fidere posse schematibus a Commissione Praeparatoria exaratis, licet ista sine dubio magna cum doctrina magnoque labore sunt confecta. Sunt enim Patres conciliares, non theologi, qui funguntur munere iudicum nec responsabilitatem propriam ad alios devolvere possunt. Commissio pro re liturgica in suis notis additis passim refert ad "desiderata episcoporum et universitatum". Hoc facere omnino neglexit Commissio theologica. Ideo totum schema suspicioni locum dat, in hac Commissione uni tantum coetui et scholae theologicae satisfieri.

I. Generalia de isto schenate

1. Schema est nimis longum. Si eius longitudo perpenditur et simul attenditur ad numerum et longitudinem aliorum schematum in re dogmatica, quae praeparata sunt, ut Concilio proponantur, si insuper tanta moles schematis comparatur cum propositionibus in re dogmatica a Conciliis prioribus enunciatis, tunc sine ullo dubio dici debet Concilium aut admittere tale schema unice nitens prudentia et doctrina Commissionis Praeparatoriae (quod vel cogitare iniustum est) aut talem sibi assumere laborem, quem per annos praestare nequit. Ne dicatur hoc schema non docere nisi ea, quae aliunde iam absolute constant. Hoc enim verum non est. Multa enim in eo docentur, quae saltem tali certitudine et tali obligatione, qualem exigit aut imponit doctrina Concilii, nondum constant, ut postea exemplis nonstrabitur. Si autem quaedam iam aliunde constant iuxta ea, quae ipse Summus Pontifex declaravit repentenda ab ipso Concilio non esse videntur.

2. Schemati deest indoles pastoralis, qualis etiam a schenate dogmatico huius saltem Concilii exigi deberet. Nemo est, qui hoc non videat. Omnia docentur modo scholastico. Nemo praeter theologos scholae ex verbis schematis persentire valebit ea quae dicuntur in isto schenate non esse hominum doctorum, sed veritatem, qua liberamur in veritatem Christi, qua tenebrae huius vitae et saeculi dissipantur, qua salvamur. Non sufficit ad hoc, ut ista indoles pastoralis obtineatur, allegare textus Scripturae Sacrae. Hae enim citationes hic potius apparent tanquam illa dicta probantia, quibus fulciri solet in schola doctrina aliunde iam nota et certa, non tanquam fons, ex quo profluit primo ipsa veritas enuntianda. Sincere fatendum esse videtur, doctrinam, doctam utique et claram, redolere mentalitatem scholae, quae, legitime suo proprio scopo conformis, doctrinam suam proferre solet. Quomodo talis doctrinae modus, in suo campo (ut iterum dicatur) legitimus, mentalitati hominum huius temporis ita adaptatus dici potest, ut veritas eis non solum proponatur, sed ab ipsis etiam suscipi libenti animo queat? An talis adaptatio non videtur necessaria? Certe a Concilio veritates docendae et tuendae non enuntiandae sunt iuxta modum pie ex suggestu concionis. At inter hunc et scholae modum dicendi magnus campus dictionis habetur, qualem exigit necessitas doctrinae veram sollicitudinem pastoralem spirantis. Dolendum est, quod expositio accuratior de illis defectu temporis et paginarum spatii vete-

3. Schema longe abest a spiritu oecumenico. Sine dubio etiam fratribus in Christo a nobis separatis veritas Ecclesiae concredita sine ambagibus et sine falsa reticentia exponenda est. Nihilominus haec veritas pure catholica ita efferri et potest et debet, ut illi persentire possint, nos illa non obscurare, quae illi legitime ut vera et ut sua defendunt.

Iam vero v.gr. non apparet vere clare, fuse, adaequate et iusta instantia ex hoc schemate momentum et pondus, quae in Ecclesia et convenit et convenire debet Scripturae Sacrae. Secretariatus ad unionem elaboraverat schema, quo haec multo melius exponebantur. Cur ista hoc in schemate non eadem claritate et instantia dicuntur? Difficultates, quas patiuntur fratres nostri a nobis separati circa inerrantiam omnimodam aut indolem historicam Scripturae, non ea animi claritate et cordis benignitate perpenduntur, ut et ipsi hic vere detegere possint, indubitatum esse veritatem, quae hic docetur. Ne dicatur talia hic praestari non posse. Quae si hic impossibilia sunt aut videntur, melius fuisset, ea, quae hic de inerrantia aut historicitate proferuntur, praevis et cautius edicere, quam his fratribus nova impedimenta creare, ne nos intelligant. Isti insuper facere non possunt, quin censeant omnes methodos etiam solidas recentis exegeseos, quales a catholicis et non-catholicis exegetis vere doctis adhibentur, his damnari. ~~Id~~ forte, ut sperandum est, false omnino putant. At de facto ita sentiunt, et iure queritur, num tale iudicium apud eos non potuerit evitari, si schema maiore imbutum esset spiritu catholice oecumenico.

Certe clarius dici potuisset Scripturam ut Verbum Dei inspiratum esse normam non normatam etiam pro Magisterio Ecclesiae. Nam istud non obstante sua infallibilitate non est fons materialis et sibi sufficiens relate ad id, quod credi debet, sed haurit ex praedicatione apostolica. Haec quidem et in traditione orali et in Sacra Scriptura transmittitur. Attamen in traditione orali (praesertim circa ea, quae reduplicative qua divinitus revelata non semper explicite et clare exhibebantur et exhibentur in ea) saepe traditio humana et divino-apostolica simul et permixtim prostant, nec semper facile cognoscitur, quid ad hanc, quid ad illam traditionem spectet. (Ita per saecula videri potuit immediata creatio corporis humani ex materia anorganica spectare ad traditionem divinam). Iamvero in Scriptura prostat fons, qui spectata eius inspiratione non exhibet nec exhibere potest nisi "traditionem" divinam. Hinc Scriptura vera aliqua prae eminentia prae traditione "orali" gaudet. Si Magisterium ex hoc fonte haurit, a priori ei constat, agi de genuina doctrina apostolica infallibili, dum, si se ad traditionem de facto existentem convertit, discretionem opus habet, quam quidem per divinam assistentiam praestare potest, sed praecise ope illorum mediorum, quae divina providentia magisterio suppeditavit, inter quae praecise eminet Sacra Scriptura.

Si talia et similia in schemate afferentur, Protestantibus facilius eluceret eos pro sorte Scripturae in ecclesia catholica nullatenus timere debere.

Bene et necessario effertur momentum Magisterii relate ad Sacram Scripturam. Iamvero si id in unico isto schemate septies repetitur, nonne hoc nimium est et occasionem dat Protestantibus irridendi nobis,

ac si quasi neurosi doctrinali in hac parte laboraremus? Clarius dici debuisset: Magisterium infallibile Ecclesiae Verbo Dei revelato et in Scriptura contento non dominatur, illi potius inservit. Ecclesia enim Dei Verbum scriptum et traditum custodiens et interpretans huic Verbo subaita est et oboedit.

4. Alio adhuc gravi et generali defectu laborat schema. Nullibi clare dicitur, qualis qualificatio theologica conveniat schemati in genere et singulis eiusdem assertis. Iamvero proponuntur omnia aut fide divina et catholica credenda aut tenenda tamquam doctrinae infallibiles? Quomodo talis intentio quadraret cum repetitis declarationibus de fine potissimum pastoralis huius Concilii? Nequaquam enim dici potest omnia in schemate dicta aliunde iam credenda esse aut absoluto et irreformabili assensu tenenda. Id enim iam luculenter apparet ex fontibus, ad quos provocat schema. Multa enim citantur testimonia, quae nullatenus evincunt characterem dogmatis pro ipsis assertis. Si vero non omnia proponuntur ut tali modo admittenda, cur minor clarificatio non aperte enuntiatur? Immo sunt, de quorum qualificatione absoluta positive dubitari licet. Certe v. gr. origo apostolica Evangelii secundum Ioannem fide tenenda est a nobis. Certe inter Catholicos nemo videtur positive negare istud Evangelium provenire a discipulo quem diligebat Iesus (licet etiam hoc assertum cautius dici deberet propter ipsum testimonium Evangelii: Io 21 et 21,24 redactionem post-Ioanneam insinuare videntur). Iamvero undenam constat certo et indubitanter originem Ioanneam non tantum esse traditionem historicam, sed etiam infallibiliter tenendam? Evidens est huic defectui vix mederi posse, si etiam ulterioribus emendationibus particularibus suppositis in genere retineri deberet hoc schema.

II. Particulares de isto schemate observationes

1. Mirandum est ea, quae in schemate de deposito fidei pure custodiendo in Cp. IV (Nr 17-20 incl.) dicta sunt de revelatione in genere, non dici in hoc schemate tamquam caput primum. Id ordine logico rerum tractandarum magis conveniret.

2. Falsa aut non satis cauta omnino videtur locutio de duobus fontibus revelationis, quae locutio in titulo schematis exhibetur et semper deinde recurrit. Fons enim significat primigeniam originem alicuius rei. Iamvero, ut etiam ex ipso schemate patet (Nr. 2 et 3), unus verus fons proprie dictus est oralis praedicatio Christi et apostolorum eius. Hic modus dicendi melius etiam correspondet terminologiae Tridentinae Synodi (Dz. 783). Scriptura et traditio, quae utraque ab hoc unico fonte dependet, non sunt duo fontes revelationis, sed duo modi trans-

missionis unius veritatis hoc unico fonte emanantis. Semper ergo loco "de duplici fonte revaluationis" dicendum esset "de duplici modo transmissionis traditionis", nisi quis simplicius dicere vellet: "de duplici modo traditionis", quandoquidem sub voce "traditionis" iure comprehendi posset etiam Scriptura tamquam divinitus data "obiectivatio" traditionis apostolicae, et ita melius efferretur indissolubilis unitas Scripturae et traditionis oralis, quae dicitur, quaeque magna saltem ex parte consistit in authentica et auctoritativa interpretatione et evolutione eorum, quae in Scriptura proponuntur.

3. Quaestio recenter orta (praesertim inter J. R. Geiselman et H. Lennerz agitatum), utrum traditio oralis etiam post conscriptam Scripturam Novi Testamenti quoad veritatem ^{revelatam} contineat materialiter veritates, quae in Scriptura ne implicite quidem exhibentur, in hoc schemate prorsus omittenda est (cfr. p. 11, 2-6).

a) Evidens est et inter Catholicos a nemine negatur immo etiam suffragium multorum Protestantium saltem hodie habet, inspirationem et limites Canonis certo non sciri, nisi ex auctoritativa praedicatione Ecclesiae eiusque Magisterio infallibili. Haec, si placet, dici omnino possunt, nemine inter catholicos reluctantante. Iamvero quaeritur, num iste casus sit casus inter alios similes, ita ut hoc non nisi "imprimis" (p. 11, 3/4) de inspiratione et canonicitate Scripturae dici possit. Tali autem quaestioni aut legitime negative respondendum censeretur potest aut saltem asseri potest, hanc quaestionem non spectare ad ea, quae in hodiernis theologiae circumstantiis a Concilio solvi possit aut debeat. Nam:

b)

1° De hac quaestione prorsus adhuc disputatur inter theologos catholicos bonae notae. Non vero est mos Concilii, ut patet ex exemplo Synodi Tridentinae, dirimere tales quaestiones. Quaestio non invenit unanimum solutionem in traditione, neque deciditur in Tridentino (Dz. 783). Id clare videri potest ex opere recentissimo: J. R. Geiselman, Schrift und Tradition, Freiburg 1962.

2° Responsum, quale fert schema, novas creat difficultates sub respectu oecumenico, et quidem sine iusta causa. Protestantes enim sine dubio de facto conquerentur (etsi forte iniuste) tali decisione destitui quam maxime Scripturam vi normativa, quam Scriptura in Ecclesia habet et habere debet. Autumabunt enim tali modo viam aperiri ad dogmata quaecumque nova introducendum in Ecclesiam, si "fons" simpliciter independens pro divina revelatione statuitur.

Altera ex parte sine necessitate talis thesis schematis asseritur. Nam, ut iam dictum est, momentum necessarium traditionis etiam sine tali thesi inculcari potest, quippe cum sine Ecclesiae traditione et Magi-

sterio certa et authentica Scripturae expositio et "actualisatio" et necessaria evolutio doctrinae eiusdem ex eius "implicito ad explicitum" (cfr. p. 45,29 - 46,7) haberi nequeat. Haec autem pacatius audientur, immo a multis admittentur Protestantibus.

3^o Nemo inter theologos cordatos assignare audebit aliquam veritatem fidei determinatam, quae iuxta eum a) ita deest in Scriptura, ut ibidem ne implicite contineatur, nec inde ne sub magisterii ductu quidem explicari possit, et simul b) nihilominus exhibetur ita in traditione orali, ut tamquam depositi pars ex testimoniis priorum saeculorum aut in aliis veritatibus tunc temporis doctis implicite contenta aut explicite iam docta demonstrari possit. Si v. gr. iuxta "Munificentissimus Deus" etiam dogma de Assumptione BMV nititur "tamquam ultimo fundamento" in Sacra Scriptura (Dz. 2331), quae dogmata assignari possent, quae tali modo non inniterentur Scriptura? Verum quidem est aliquam veritatem ut divinitus revelatam a singulis cognosci et agnosci iam ex eo, quod a Magisterio ut talis certo docetur quocumque tempore. Iamvero id non tollit officium theologiae, ut historice demonstret, quomodo talis veritas implicite aut explicite contineatur in deposito Apostolico. Si vero ita est, quodnam est de facto dogma, quod potius provocare posset ad Apostolicam traditionem oralem (explicitam aut implicitam) priorum saeculorum quam ad doctrinam (explicitam aut implicitam) Scripturae? Si tale exemplum certum et ab omnibus admissum exhiberi nequit (semper sepositis inspiratione et canonicitate Scripturae tamquam veritatibus ex natura rei aliter se habentibus), quid proderit docere in genere tantum talia exempla nihilominus haberi? Generale tale assertum nullatenus iuvabit ad fidei defensionem aut explicationem, cur veritates, quae primo intuitu non explicite inveniuntur in Scriptura, nihilominus possint divinitus esse revelatae et traditione ad nos legitime transmissae. Tales veritates sunt quidem, sed non facilius explicantur ex traditione orali priorum saeculorum, quam ex Scriptura.

Aliis verbis et breviter: Ut illud "praesertim" probetur, non sufficit appellare ad hanc vel illam veritatem dogmaticam, quae apparenter non continetur in Scriptura, sed insuper demonstrari deberet hanc veritatem melius explicite aut implicite inveniri in testimoniis Patrum priorum saeculorum. Aliter enim historice probari nequit origo Apostolica huius veritatis, quod praeter argumentum mere dogmaticum etiam fieri debet. Iamvero talis concreta veritas, quae duplici huic conditioni respondet, exhiberi nequit.

Prorsus igitur superfluens est docere, quae in p. 11, 2-6 docentur.

4^o Si vero aliquis diceret, id, quod hic tamquam doctrina schematis supponitur, ab eo non doceri, quippe cum per illud "clarescunt et innotescunt Ecclesiae" (p. 11, 5/6) ultimatim nihil dicatur nisi sine traditione multa non explicita reddi, cum ex sola Scriptura et exegesi singulorum privata erui nequeant, licet saltem implicite ibi contineantur, id quidem libenter auditur. Attamen: multi, qui id scire deberent, edicunt sententiam J. R. Geiselmann, et aliorum hic de facto damnari. Et insuper reponendum est, cur ista tam obscure et captioso modo et cum scandalo Protestantium dicantur, et cur non dicantur clare nisi ea, in quibus omnes Catholici conveniunt.

Hisce omnibus perpensis evidens est hanc quaestionem nullatenus spectare ad ea, quae a Concilio decernenda sunt.

4. Si p. 13, 7-14 recte inculcatur inspirationis charisma hagiographis esse proprium et personale et non communitatis, quaeritur primum, quis inter cordatos theologos umquam aliter senserit, ut hoc expresse dicendum sit, et secundo postulari potest, ut insuper addatur doctrina etiam hagiographos ex deposito revelationis divinae in praedicatione Apostolica in Ecclesia iam exhibitae haurire, scribere tamquam membra Ecclesiae et populo Dei credenti inservire. Ita etiam concatenatio eventus inspirationis cum tota historia salutis quatenus sub ductu Spiritus Sancti evolvitur, eluceret.

5. Quae p. 13, 22- 14,11 de inerrantia Scripturae dicuntur, insufficientia videntur et non placent.

a) Non paucis videtur in hac parte Schema non adaequare doctrinam, quae exhibetur in Encyclica Pii XII "Divino afflante Spiritu" et relate ad hanc Encyclicam regressum potius quam progressum exhibere. In hac enim Encyclica (cfr. Dz. 2294) optime inculcatur in diiudicando sensu Scripturae maxime attendendum esse ad varia genera litteraria, quae in Scriptura inveniuntur; talia genera non facile cognosci et discerni et in hoc opere exegetis recentem magnos progressus fecisse multaque cognovisse, quae olim potius nesciebantur aut minus clare dicebantur. Ista quae exegetis nostris in arduo suo opere consolationi essent, taceri non deberent.

b) Quod spectat ad ea, quae de omnimoda inerrantia Scripturae etiam in re profana (p. 13,27) dicuntur, cautior et magis circumspecta doctrina desiderari omnino deberet. Nemo inter catholicos exegetas negabit ea, quae a magisterio a Leone XIII usque ad Pium XII in hac parte docentur. Attamen:

1^o iure quaeritur, utrum haec omnia necessario etiam a Concilio definienda aut docenda sint an potius interim standum sit doctrinae,

qualis hucusque in hac re habebatur et alius gradus qualificationis statuendus non sit. Profecto enim in hac quaestione multa adhuc restant problemata et difficultates, quibus premitur hodie vel orthodoxissimus exegeta, si revera methodis et quaestionibus hodiernae scientiae par est, ut "status quo" hodiernae doctrinae eiusdemque qualificationis potius retinendus esse videatur. Id sine periculo fidei fieri potest et removeret a multis exegetis catholicis graves conscientiae vexationes, quae secus evitari non possent, si et doctrinam Ecclesiae fideliter sequi cupiunt et simul ea quae eis imponere videtur scientia solida exegeteos.

2^o Si voce "erroris" schema utitur, supponere videtur sensum huius conceptus omnibus clare et indubitanter patere, quippe cum nulla definitio huius conceptus exhibeatur. Iamvero res de facto difficilior esse videtur. Si v.gr. (et multa alia exempla similia afferri possent) Mc 2,26 dicitur (quod Mt et Lc ex consulto delevisse videntur) Abiathar fuisse Summum Pontificem, cum David panes propositionis comederet, quod ita simpliciter factum non est (cum iuxta 1 Sam 21 Achimelech tunc esset Summus Pontifex) talis sententia, si per se ipsa sola consideratur, error dici potest an non? Quid, si non ita, dicitur error? Exegeta sine dubio inclinaretur in sententiam tale "obiter dictum" errorem dici posse. Si ita ei dicere non licet, potestne sententia Mc 2,26 ut vera salvari dicendo hagiographum ea, quae hic dici videntur, non recensere inter ea "quae scribendo reapse significare voluit" (p. 14,2s.)? Quomodo hac in suppositione "error" esset definiendus? Iam ex his obiter tantum dictis elucet, melius esse evitare doctrinam - etsi in se vera est - ut conciliarem de inerrantia Scripturae etiam in omni re profana. Non opus est, ut Concilium ipsum de hac re aliquid statuatur. Tuto id magisterio Ordinario reliqui potest.

6. Quae de historicitate Scripturae in Cp. IV dicuntur (p. 17 - 18) multo maiore circumspectione dici deberent.

a) Iuxta Encyclicam "Divino afflante Spiritu" constat etiam quoad scripta Sacrae paginae, quae eventus historicos spectant, varia genera litteraria haberi posse seu indolem historicam in variis scriptis talis generis non sensu prorsus univoco semper accipi posse aut debere. Schema vero insinuare videtur apriori et ex natura rei (inerrantiae etc.) constare conceptum historicitatis omnium narrationum, quae eventus historicos spectant, saltem in Novo Testamento, esse simpliciter univocum (cfr. p. 13,34). Quae p. 17, 13-16 conceduntur, non sufficiunt, ut haec insinuatio tollatur; nam non tantum dici debet indolem historicam narrationum Novi Testamenti non convenire cum historicae compositionis rationibus, quae apud nostrae aetatis peritos in usu sunt, sed etiam dici debuisset, has rationes in ipsis Scriptis NT inter se comparatis non

necessario esse debere prorsus easdem.

Iamvero talis doctrina aut suppositio exegetis etiam orthodoxissimis onus imponit, quod sustinere nequeunt. Inter omnes v. gr. constat indolem historicam Evangelii Joannis (quae certe retinenda est) esse aliam ac indolem historicam Synopticorum. Nemo fidelium (ut aliud exhibeatur exemplum) negabit historicitatem narrationum de infantia Christi (p. 17,27), at nec hic ex fide constat hoc genus litterarium (etsi historicum) esse debere prorsus idem ac v. gr. quoad narrationem mortis aut resurrectionis Christi. Si dicitur damnari quodlibet conamen "quovismodo" "extenuandi" veritatem historicam vitae Domini (p. 17,23), periculum creatur, ne quaevis sobria methodus ulterius disquisitionis de accuratiore indole historica harum narrationum aut de accuratiore genesi praelitteraria earum apud multos, qui zelo potius indiscreto quam solida exegeseos scientia ducuntur, tamquam methodus illegitimus calumniatur et impugnetur.

Haec omnia in hoc Cp. IV adeo indiscriminatim dicuntur, ut sana et solida hodierna exegesis non possit non conqueri de defectu omnis respectus ad ea, quae ei nota et consueta sunt. Insuper quaeri potest, num modus damnationis mere negativus, qui hic adhibetur (p. 17,21 - 18,5) respondeat intentioni pastoralis Concilii et eis quae Summus Pontifex dixit de Ecclesia Christi Sponsa, cui "ad praesens tempus quod attinet... placet misericordiae medicinam adhibere potius quam severitatis arma suscipere" putans "magis quam damnando, suae doctrinae vim uberius explicando hodiernis necessitatibus esse consulendum" (Sermo inauguralis Ioannis XXIII die XI. Oct. habitus).

b) Nulla sane est ratio diffidendi traditioni historicae, secundum quam quattuor Evangelia illis auctoribus adscribenda sunt, quorum nominibus ubique insignantur. Attamen si nec schema ipsum audet hanc traditionem recensere inter ea, quae fide retinenda sunt, non videntur rationes, quibus schema legitime postulare possit ut haec traditio absoluto assensu retineatur. Id tamen facere videtur (p. 17,5). Talis enim traditio non probatur ita cohaerere cum dogmatibus fidei, ut necessario assensu absoluto et irreformabili retinenda sit.

7. Quae in Cp. III (nr. 16, p. 15, 11-23) dicuntur, ad quaestionem, quam homo hodie necessario ponit, nullatenus respondet, licet tale responsum in hoc contextu vix omitti possit. Etiam hic apparet defectus indolis pastoralis huius schematis. Res fere ita exhibetur, ac si inter Adae praevaricationem et Oeconomiam Veteris Testamenti nihil historiae salutis interserendum sit. Nam "patres nostri" et "prophetica oracula", de quibus solis sermo est (p. 15,13s.) unice respicere videntur Veteris Testamenti revelationem. Iamvero (ita quaerit homo huius temporis), quid est de ingenti illo tempore, quod inter Adam et Vetus Testamentum

habebatur? Nihil ibidem Deus agebat quoad salutem hominis? Hoc saltem vel simile quid dici debuisset: cum Dei voluntas salvifica universalis etiam post Adae praevaricationem nunquam intuitu Christi in carne futuri deesset generi humano, semper arcanis viis suppeditavit media, quibus hominibus omnis temporis, etiam remotissimis, fides salutaris in Deum revelantem possibilis redderetur. Deinde tandem introducenda fuisset Oeconomia Veteris Testamenti.

8. Quod in Cp. V schematis dicitur, multo melius proponitur in schemate Decreti Pastoralis, quod "De verbo Dei" exaravit Commissio ad unionem fovendam, praesertim cum hoc schema huius commissionis dicatur approbatum esse in Commissione centrali.

C O N C L U S I O

Si defectus generales, quibus laborat hoc schema, serio perpenduntur, si recte aestimantur ea, quae in specie huic schemati opponi possunt et debent, nullatenus videtur correspondere intentioni, quam Concilium in tali schemate conficiendo prosequitur, nec desideriiis et normis Summi Pontificis.

Optandum igitur summopere est, ut hoc schema seponatur. Aliud schema confici poterit de hac materia, si Patribus videtur thema tale non simpliciter omitti posse. Quapropter censetur Patres Conciliares et posse et debere voto "Non placet" suffragium de hoc schemate ferre.